

§. XVIII.

Quemadmodum igitur, ratione legis, obedientiam minime caecam esse debere, ex modo dictis §. XVII. patet, sic etiam, respectu euangelii, obedientiam, quae fides est, eundem in modum se habere, satis intelligimus, supra dicta de absolute summa dei sapientia ac bonitate (§. VII. VIII.) considerantes. Quibus aliae nunc accedunt diuinae perfectiones, cuiusmodi est eiusdem omnipotentia, quam rationis loco habuit insigni fide praeditus Abrahamus. (§. XVI.) Ad summam quoque dei veracitatem quosdam fidelium respexisse colligimus ex Hebr. XI, 13. 27. 30. Sanctitatem porro, misericordiam et quotquot diuina attributa aliquid huc conferunt, fidelis in deum et credens secum perpendere potest. Quae omnia vel singula, vt maximas fidei rationes, qui considerat, non caeca mente deo, respectu euangelii, obedire seu credere nuncupandus est, vbi tamen obedientiam euangelicam et legalem essentialiter differre, nosque in remouenda tantum illius caecitate, neququam ipsa fide definienda atque pertractanda occupatos fuisse, probe obseruaueris. Monitum adhaec §. X. datum et hic, sicut vbique in mysteriis atque arcanis diuinis quibuslibet locum habet, quippe quae non adaequate intueri, sed aliquo nimirum pacto cognouisse, ac abyssi instar quodammodo inspicere, Rom. XI, 33. intellectui finito datum est.

§. XVIII.

Euitemus itaque, ceu ingens malum, a Paulo compellatam ignorantiam, caecamque in cultu et obedientia diuina mentem, 2 Cor. III, 4. et oculis potius illuminatis seu cognitioni, insigni dei beneficio, 2 Cor. III, 6. Eph. I, 18. III, 18. nec non sapientiae, quae primariae imaginis diuinae pars erat, ad quam nunc renouandi sumus, Eph. III, 24. maximopere per omnem vitam, quatenus licet, (§. XV.) studeamus Eph. V, 17.



Coll. diss. A. 66, inid. 5